



**S**anctus Bardo ex nobili familia Oppersho-  
 Suen patre Adelberto & matre Christina natus  
 fuit. Illi suum filium optimo ingenio præditum, in  
 liberalibus artibus erudiendum curarunt. Idèq; in  
 monasterijs Hirsauiensi & Fuldensi. Vnde breui  
 magnam doctrinam adeptus, apud omnes notissi-  
 mus extitit. Accedebat etiam uirtutis amor, & ui-  
 tæ innocētia. Itaq; primo Hirsgauientis abbas, po-  
 stea & Fuldēsis electus est. Cum eam functionem  
 optimè administrasset, atq; interim ecclesia Mo-  
 guntina suo antistite destitueretur, ipse in eius lo-  
 cum archiepiscopus uocatus & assumptus est 1031.  
 Accidit autem ipso præsentente ut Henricus 3 Im-

perator cum 42 episcopis Moguntinæ ob res ecclesiæ ordinandas Synodum  
 celebraret, in qua etiam Leo 9 pontifex præsens intererat. Ibi præcipua laus S.  
 Bardonis extitit. Erat enim excellentis doctrinæ, atq; etiã singulari eloquen-  
 tia & facundia præditus, ita ut ipso concionante magnus hominum concur-  
 sus undique fieret. Non autem is cōtentus erat suam ecclesiam uerbo Dei pa-  
 scere, sed etiam alijs in locis frequenter cōcionabatur. cum hoc modo magna  
 gloria perrexisset, tandem Paderborni adhuc sanus existens in publica cōcio-  
 ne suam mortem prædixit, atq; ardenti animo ab auditoribus petijt, ut secum  
 Dominum orarent, quo ipsum sua gratia dignaretur. Postea statim Mogun-  
 tiam tendit, atq; suis ualedictis anno suæ uocationis 20 magno omnium luctu  
 moritur, atq; in sua ecclesia sepelitur. Eum posteri, ob uitæ integritatem inter  
 sanctos retulerunt. An. in Archiep. Mog.